



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Historico-Theologicae In quibus expenditur an  
verè dicatur: Lovanienses sunt condemnati per Decretum  
SS. Domini Nostri Innocentii XI. Proscribentis LXV.  
Articulos?**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1683?]**

Conclusio Decima. Ex Adversariorum conatibus & ipsâ Propositionum  
naturâ ostenditur, quod in octava & nona Lovanienses non sint  
condemnati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40472**

## CONCLUSIO DECIMA.

*Ex Adversariorum conatibus & ipsâ Propositionum naturâ ostenditur, quod in octava & nona Lovanienses non sint condemnati.*

**O**ctava dicit : *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Nona asserit : *Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* De priori propositione Adversarii loquuntur in Specimine his verbis : *An & quâ censurâ digna sit propositio, statui malumus à Lovaniensibus Doctoribus, qui eam retulerunt ad Moralem Theologiam cum miserandi hujus sæculi corruptione symbolizantem, quàm à nobis. Interim dispiciant sapientes, an plus reprehensionis mereatur propositio, quàm vulgaris doctrina Scotistarum, & aliorum, qui censent dari actus indifferentes in individuo; adeoque non peccari eo ipso, quo actio quæpiam non refertur in finem honestum.* Culpantur insuper in Specimine Doctores Lovanienses quod sentiant actus nostros debere in Deum referri per castam ejus dilectionem. Præterea in eodem Specimine ad utramque hanc propositionem notant Adversarii quod Lovanienses petierint istas condemnari, quia censent non sufficere ut ejusmodi actiones referantur in finem aliquem utcumque honestum, sed requiri ut per charitatem in Deum referantur. Et hæc quidem ut propositiones istas condemnandas non esse ostendant. Ex quibus rursus colligitur : primò quod in illis non ipsi Lovanienses, sed eorum Adversarii sint condemnati. Secundò quod Lovaniensium doctrina, de actibus nimirum in Deum referendis, directissimè adversetur Propositionibus istis condemnatis sive doctrinæ earum. Tertiò, quod istarum condemnatio faveat doctrinæ Lovaniensium : etenim si non liceat ob solam voluptatem comedere & bibere vel exercere opus Conjugii, consentaneum est ut non liceat ob solam voluptatem comedere & bibere vel exercere opus conjugii, consentaneum est ut non liceat agere ob ullam delectationem concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum aut superbiæ vitæ, adeoque non ob fruitionem ullius creaturæ, si hoc verum est ergo omnes actiones referendæ sunt in Deum, etenim si non referantur in Deum exercentur ob fruitionem alicujus creaturæ : quod etiam dicendum dum exercentur ob honestatem naturalem, si per hanc non Deus ipse qui rerum naturalium est incommutabilis honestas, sed humana æstimatio, aut quid aliud creatum intelligatur : tunc enim locum habere videtur illud Augustini : *Licet à quibusdam tunc vera & honesta putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expectantur, etiam tunc inflata ac superba sunt; & idè non virtutes sed vitia judicanda sunt.* Aug. lib. 19. de civit. c. 25. Ex his omnibus iterum concluditur quod sive spectetur conatus Adversariorum pro harum Propositionum condemnatione avertendâ, sive spectetur natura ipsarum Propositionum, non possit ullâ verisimilitudine dici quod in istis Propositionibus Lovanienses sint condemnati.

## CONCLUSIO UNDECIMA.

*Ex illis quæ Adversarii egerunt, ne propositio decima & undecima condemnarentur, item ex naturâ illarum propositionum rursus consicitur intentum nostrum.*

**D**ecima propositio est hæc : *Non tenemur Proximum diligere actu interno & formali.* Undecima : *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Quemadmodum Memorialis Hispanici antè citati, ita quoque famosi Speciminis scopus fuit, non solum aliquas ex Propositionibus per Lovanienses Deputatos Romæ exhibitas condemna-